virtutes reliquas manare ac profluere intelligeret simulq illud D. Gregorii mente reconditum
haberet: Nulla est Scientia, si pietatis utilitatem non habeat. Hac itaq Deo se unire gestiebat
firmo cordis proposito, eidem ut alter David adhærens, eundemq amore complectens. Quid, quod vel
sexcenta pericula propter Deum, ut alter Moyses perpeti paratus esset, spe certa à Deo omnia
bona sibi pollicitus sanctimoniæ, sine quâ nemo Deum videt, deditus: Jesum Servatorem suum ac
Protectorem privatim ac publicè devotissimo animo veneratus. Et quidni ad pietatis studium unicè
appulisset animum! norat ipse, quod pietas una esset, qua à terrenis ad cælestia secederemus; quâ
ab hominibus ad Deum segregaremur, qua à voluptatum illecebris ad virtutum illicia secerneremur; quâ
à malitia ad probitatem peregrinaremur; qua à fastu ad humilitatem descenderemus, ab immodestia
ad modestiam progrederemur; à vitæ et corporis pernicie ad utriusq salutem perduceremur. Sic ergò pie-
tatis splendore fulgebat ὁ μακαρίτης noster ceu fulget inter ignes luna minores. Neq autem
solùm pietatis, verum etiam insuper Justitiæ et Æquitatis splendore irradiabat B. Vir, ut ad justitiam
non factum sed natum esse diceres. Utraq id parte, quam administravit, hæc locorum loquitur: loquitur
utiq parem semper pœnam delictis fuisse et remunerationem virtutibus. Hoc et ipse ego, quum B. Vir
ad gubernacula Reipublicæ literariæ adhuc sederet, satis superq deprehendi: deprehendi nunquam, quàm
servans æquitatis fuerit, ac justitiæ, unde sine fuco B. Viri tumulum hoc versiculo signo, obsigno:
Sponte sua sine lege fidem rectumq colebat.
Nec enim Viro huic splendor Fidei et Candoris deerat, præprimis ubi nequaquam annueret pessimo
cordis proposito dicentibus: quod liceat interdum fidem fallere et Vulpis exuvias induere: Quin
potius extremo dignum odio cum Achille habebat, qui aliam callidè oratione sententiam exprimeret,
quam occlusam perfido pectore gereret: Haut occultabat sententiam suam ut Leo vestigia sua, sed
liberè loquebatur, nihil dissimulabat. Hoc bellum factum. Talem siquidem virtutem colebat, ex colebat,
quâ nulla omnino societas humana, si firmiori nexu et vinculo conjuncta manere debet, carere po-
test. Sentiunt mecum idem et Persæ et Arabes, quum humanam societatem cum fide tolli crederent.
Fulgebat præterea ut sidus aliquod clarissimum Dilectus noster Dei splendore Beneficientiæ et
Liberalitatis. Ah! verba ferè hîc non suppetunt, aut si quæ suppetant, non digna sunt quibus
μακαρίτου Beneficentia exprimatur. Licebat sanè cuilibet pauperioris sortis alumnis, cujus
cujus etiam nominis, cujuscunq status erant, ad eum tanquam ad asylum et aram misericordiæ
confugere. Vah! quàm multorum Discipulorum studia sublevabat ope sua! Quam multis ade-
undi parnassum faciebat facultatem, quibus alias denegatum fuisset, propter rem angustam domi
eo pervenire! Dicite mihi, Auditores Venerandi, qua liberalitate usus fuerit in illos, qui pauper-
tatis onere oppressi in plateis hinc inde stipem colligunt, horum nè unum quidem sine viatico di-
misit, imò si vel nummos vel grossos aliquot secum non haberet, quos petenti porrigere posset, nec im-
perialem quidem, ut ne frustra mendicus peteret, porrigere dubitavit. Haut fabulam vobis, A. V.
enarro. Nec et vobis hoc, quicquid retuli, fabula videbitur. Erat me-Christe Vechneri domus
ut tribunorum quondam Romæ: sicuti enim horum ædes nunquam claudebantur, ut esset portus qui-
dam ac perfugium civitati: ita ædes Vechnerianæ semper ad communem utilitatem ac pauperum sub-
levationem apertæ patebant: quâ de causâ etiam luctuosus tanti viri discessus, non parùm luctus,
non parùm lacrumarum, non parum planctuum multis, quibus benignitatis suæ fontes sæpiùs a-
peruit, creavit. Falsus sim, ni hæc ipsa hora dentur, qui haut sine cordolio conquerantur ac cla-
mitent